

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Editrix responsalis: Diana LICOPPE -avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan -1040 BRUXELLIS

TEL:02/734 55 42

## GRATIAS MAXIMAS...


*Peracto (vel: Exacto, expleto, expleto) m. n. Perfecto*

Perfecto anno 1987°, gratias maximas ago imprimis Melissaegregi, qui indefesse curat ut Melissa melior in numeros fiat; gratias etiam nostris extraneis cooperantibus, quorum opera nostri commentarii sunt vere Europaei; gratias denique lectoribus, in annos frequentioribus, qui nobis fidunt et quorum nonnulli gratissimas gratulationis epistulas ad nos miserunt.

Ex anni 1987<sup>i</sup> eventis, hoc imprimis mihi videtur signandum, quod post Professoris Thomae Pekkanen acroasin Bruxellensem, inexpectatam fructuosamque consuetudinem iunximus cum Finnia; non solum Thomas Pekkanen multa in Melissa scripsit nosque condiciones institutionis Latinae in Finnia docuit, sed etiam, strenuissimus Latinitatis Vivae propagator in Finnia factus, nobis multos subnotatores necnon nonnullos cooperatores attulit. Ei gratias singulares ago.

Praeterea, evenit ut inter aestiva seminaria Latina complures novos sodales Francogallos et Nederlandos novissemus, quibuscum consuetudinem iunximus et optimam cooperationem instituimus. Inde factum est ut frequentiores coetus Latinos internationales haberemus, id quod est scopus ipse Latinitatis Vivae. In superiore Melissa numero nonnulla rettulimus de coetu huius generis, qui Meldis habitus est; etiam narravimus quantum doluissemus quod Televisio Francogallica «Antenne 2», nationibus oriundos ibi convenerat et interrogaverat, telespectatoribus monstravit. E qua manca inter optimos sodales. Nam Genovesa

quae nonnullos egregios sodales e compluribus de hoc militanti aspectu Latinitatis Vivae nihil emissionem televisificam paene orta ~~est~~ zizaniat<sup>is</sup> sunt Antoninusque Immé, firmi amici, qui



ANNUM NOVUM FAUSTUM FELICEM

Melissae iam ab initio fauerunt, se despectos esse censerunt, cum in Melissa 21<sup>a</sup> legissent verba deceptionis a Ioele Joubert scripta. Quae tamen verba nullo modo ad eos pertinebant. Hoc quoddam quod si quondam Genovefae Immè continget sodales nostros Meldenses, praesertim fortasse Ioelem Joubert, convenire, eum iucundissimum et amabilissimum inveniet.

In conventibus generalibus, de quibus in superiore numero rettulimus, hoc nobis molestissimum visum est, quod ei, qui docentium consociationum generalium habenas tenent, Latinitatem Vivam despiciunt et irrident...; eam tamen timent; quare omnia faciunt ut eius fautores impediuntur. Idem fit in ipsa Academia Romana, quamvis anno 1966<sup>o</sup> condita sit ad Latinitatem Vivam augendam; stupendum enim est, quanta ironia de D<sup>ro</sup> P. Caeleste Eichenseer nominatim in officiali relatione novissimi consessus annui memoretur in contextu disputationis de usu linguae Latinae. Ergo nihil utile intra has consociationes umquam effici poterit; ut Romae mense Novembri propositum est, novas consociationes regionales constituent oportet ei qui sincere in animo habent institutionem Latinam renovare et hodiernis condicionibus Europaeis aptare. Eos cunctis viribus adjuvare conabimur.

Altera via ad Latinitatem Vivam augendam, est extrascholaris et pertinet ad adultos. Romae optatum est ut in diversis regionibus plures circuli Latini conderentur. Cui optimo proposito nobis necessarium videtur addere commercium inter circulos instituendum ope technicorum adiumentorum nostrae aetatis, id est praecipue phonocasetae et visocasetae. Hac in re experimenta facere in animo habemus. Ad eandem viam pertinet extrascholaris institutio linguae Latinae, qualis exstat pro diversis linguis etiam Hebraica vel Iaponica in contextu, qui dicitur «Otiosorum Universitas». Speramus talem institutionem Latinam in Belgica praeberi posse.

Anno 1988<sup>o</sup> Fundatio Melissa etiam fiet domus editoria. Nam mense Ianuario primus liber, quem totum confecimus, venundabitur; est Alberti Grisart Portus Itius, de quo referimus in sequentibus paginis. Sed maioris momenti sunt lexica practica bilingua, quorum prima editio ineunte hoc anno in lucem edetur. Circiter tria milla vocabulorum communium vel recentiorum, accentibus longitudinis praeditorum, inventientur in hac editione; translationes Anglica, Francogallica, Hispanica et Theodisca iam sunt perfectae et primae divulgabuntur; sequentur Nederlandica et Italica. Certe longe abest ut in hac prima editione omnia vocabula nostris temporibus necessaria exhibeantur. Quod opus lexicographicum perdifficile pergitur in arta cooperatione cum Societate Latina Saravipontana. Etiam in animo habemus rubricam in Melissa instituere, ubi de vocabulis perdifficilibus ab omnibus peritis hominibus iudicium petamus.

Ex his ut patet, non deest materia hominibus bonae voluntatis qui Latinitati Vivae operam dare volunt; quo studio non tantum sibi magna gaudia capient, sed etiam Europae nostrae multum proderunt...

Gaius LICOPPE

## In memoriam Alberti GRISART

Albertus GRISART Melissae lectoribus notus est, cum in numeris 9<sup>o</sup>, 10<sup>o</sup> et 12<sup>o</sup> scripserit «de Atuatucorum populo et clarissimo oppido». Nam iam ab anno 1982<sup>o</sup> praeparamus editionem eius libri, cui titulus «Portus Itius». Res complures dilata est, cum auctor, vir scrupulosissimus, iterum iterumque textum mellorem facere cuperet. Ineunte anno 1987<sup>o</sup>, textu tamen perfecto, delineationes elegimus ad librum illustrandum, quas Corinna Licoppe efficere debebat; sed hoc opus perficere non potuit ante mensem Novembrem; quod, cum Alberto Grisart nuntiasset, stupens comperi eum iam complures septimanas in nosocomio iacere. Eum visitavi die 24<sup>o</sup> m. Novembris infeliciter iam paene exanimatum. Die 9<sup>o</sup> m. Decembris vita functus est; animi potius quam corporis morbo iam diu premebatur.

Maxime doleo quod paucis tantum diebus abfuit quin librum



Albertus Grisart cum Gaio Licoppe de Portu Itio anno 1986<sup>o</sup> disputantes.

suum amatissimum manibus tenere posset.

Totam vitam dicavit linguarum antiquarum institutioni; nam docuit in Athenaeis urbium Morlanwelz, Virton et Verviers, ab anno 1934° ad annum 1973<sup>um</sup>. Quod officium bis interruptum est, annis 1940-1945 cum in captivitate reductus est, et annis 1964-1965 cum linguam Graecam in Universitate Quebecensi Vallis Vidonis (v. Laval) docuit.

Studiis philologiae classicae in Universitate Leodiensi perfectis, anno 1929° Doctor factus est. Laboribus multis semper occupatus, opera sua iterum iterumque meliora facere volebat, quamvis valetudine parum commoda uteretur.

Lutetiam Parisiorum missus a Fundatione Universitaria Belgica, studuit in Schola Normali Superiore, ubi condiscipulus fuit Georgii Pompidou, futuri Francogalliae praesidis. Anno 1932° laureatus est in Certamine Interuniversitario Belgico pro opere c.t. «Vergilii nova biographia». Anno 1952° fuit inter conditores Associationis Classicae Universitatis Leodiensis et Associationis Nationalis Docentium Linguas Graecam Latinamque, in quibus diu praepositus est ab epistulis. Aliquot conventus vel seminaria Latinitatis Vivae participavit (Avennionae a° 1956° et 1969°; Argentorati a° 1963°; Augustae Trevirorum a° 1981°), atque XLIII<sup>um</sup> et XLIV<sup>um</sup> Conventum Societatum Historiae et Archaeologiae (a° 1974° et 1976°).

In Primo Conventu Internationali pro Latinitate Viva, Avennionae a° 1956° habito, locutus est «de veris causis et maioribus et minoribus ob quas lingua Latina discenda est et de optimis viis et rationibus quibus in scholis mediis docenda est». Cuius orationis initium vobis proponimus:

*«Ad te, benevole lector, mihi in animo est sermone Latino loqui non ita purissimo, quali Cicero ille utebatur, sed potius simplicissimo, quem ego hoc tantum consilio adhibiturus sum ut vocabula sententiasque meas tu plane et commode sine glossario intellegere possis, etiamsi a puero nihil iam Latrum legisti praeter id fortasse quod die dominica interdum tibi in oculos incurrit ex eo libro cui nomen inditum est «Missale et Vesperale Romanum». Ceterum hac disputatione id quoque prosequor ut eo ipso exemplo tibi persuadeas quam facile et utile ad omnia disserenda linguam tu quoque usurpare possis Latnam; Ciceroniano tamen,*

*quantum potero, hic usurus sum sermone, quia ad propositum meum ille peridoneus et perlucidus esse mihi quidem visus est. Verum etiam in universo aptissimae apparent Latinae illae litterae et imprimis lingua ipsa Romanorum ad cunctas animi facultates parandas et augendas quas unicuique hominum, in quolibet genere industriae vel negotii vel muneris vel officii, necessarias esse vulgo et palam conceditur, id est recte et bene et pulchre vel iuste et honeste et pure loqui et cogitare et agere, ita ut clarissimum illud Iuvenalis dictum, poetae Latini notissimi, perfectissime conficiatur «mens sana in corpore sano» vel alia quoque huic vicina sententia, quae Gallici sane scriptoris est, Romanorum tamen cognitoris peritissimi et, ut ita dicam, plenissimi, cui nomen Latine Montanus erat: «Caput non ita plenum, sed bene factum».*

Cum Argentorati locutus esset de ordine verborum in linguis antiquis, invitatus est ut linguam Graecam in Universitate Quebecensi Vallis Vidonis doceret. Infeliciter, tantum unum annum in Quebeco moratus est quia, perfectionem nimis quaerens, depressione neurotica coactus est in patriam reverti.

Ab anno 1958° Albertus Grisart maximo cum ardore studuit expeditionibus quas Caesar in Belgium duxit atque in actis conventuum periodicisque saepius in lucem edidit commentationes de Atuaticis, de Eburonibus, de populis Germanis Cisrhenanis, de castris Romanis inter mare Germanicum et Rhenum exstructis, de Portu Itio, de quibusdam viis. Quibus studiis se diligentissime scientificeque dedit, ut erat discipulus egregii Professoris Armandi Delatte.

Albertus Grisart mihi etiam divulgandum dedit copiosam materiam suarum investigationum in Caesaris itineribus, castris pugnisque per totum Belgium; quae textus ipse in Latinum vertit, me rogante. Magna opera restat danda ad hanc materiam disponendam, cum Albertus Grisart frequentes correctiones attulerit; multae etiam tabulae geographicae, multa schemata restant definitive delineanda, antequam opus divulgare possimus. Curabimus tamen ut quam citissime res perficiatur.

Albertum Grisart tantum a Conventu Treverico (a° 1981°) novi, iam senescentem. Sincerus amicus factus erat. Sit ei terra levis.

Gaius Licoppe.

## De Latinitate Viva ad litus Belgicum quid sentiant quattuor Francogalli

Seminarium Latinitatis Vivae participare: nonne est novum? Hanc tamen experientiam nuper viximus.

Qua de causa seminario interesse statuimus? Imprimis animadvertimus linguas antiquas, quamvis in nostra schola satis florent, a discipulis parentibusque paulatim relinqui. Secundo, sicut ceteri linguae Latinae magistri, solebamus nos lamentis dedere propter discipulorum mediocritatem, cum nullus posset, studiis perfectis, integrum litterarum Latinarum opus legere. Denique, iidem pueri sine difficultate loquuntur leguntve Anglice, Hispanice, etc.

Cum, collegis invitantibus, lectiones linguae

Anglicae audivissemus, nobis patuit eorum methodos a nostris omnino differre. Apud nos, grammatica videtur esse ars maximi momenti, intellectualis artificialisque. Apud eos, propter sermocinationes saepissime exercitas, grammatica videtur quasi naturalis esse.

Quae cum ita essent, plane intelleximus linguam ipsam in lectionibus magis exercendam esse. Scripturam autem lentius studemus; ergo loquendum est. Eheu! Fatendum erat facundiam in Latine loquendo nobis deesse. Multas post investigationes audivimus seminarium Latinitatis Vivae mense Augusto in Belgio institui. Quattuor nostrae scholae magistri seminarium participare

statuerunt.

Primum nobis fuerunt difficultates propter sermonum velocitatem, memoriam adhibendam et praesertim accentum Francogallis auribus incognitum. Post duas horas exanimati eramus. Ne inter cenas quidem quiescere poteramus, cum collocutores (Germani, Austriaci, Belgae, Hispanus, Graecus, Italus, Nederlandi necnon... Iapo!) aut nescirent aut nollent Francogallice loqui.

Ad optime intellegendum, tres dies nobis necessarii fuerunt; octo ad loquendum. Paulatim adsuefacti sumus Latine colloqui cum omnibus, quamvis alii essent peritiores, alii inscitiores.

Intra sessiones, multis de rebus tractamus: de rebus cottidianis, de grammatica etymologiaque, de accentibus, de mundi hodierni problematibus. Quodam die, Inga Pessarra Ovidianis et Tertullianis de mulierum cultu excerptis studere nobis proposuit. Sigridem Albert et Patrem Caelestem apologum Grimmianum actantes, videre et audire nobis etiam magno gaudio fuit. Iohannes-Paulus Bauer acroasin habuit de lingua Etrusca.

Duae fuerunt excursiones: Dominica, multi Brugae autoraedis petierunt, Gaio duce; qui vir peritissimus et Mariae Burgundiana sepulcrum et Pretiosi Sanguinis basilicam et Sancti Iohannis nosocomium et monasterium vulgo dictum «Béguinage», nobis euripos praetereuntibus ostendit. Mercurii autem die, autoraeda longa Gandavum omnes vecti sumus; Lucas Devoldere, mystagogus, non tantum urbem suam optime noverat et diligebat, sed etiam nobis in cordibus admirationem suam infundere potuit. Polypticon a fratribus Van Eyck manu pictum et codices in bibliotheca asse-

vatati praecipue affectum moverunt. Ergo, ordo rerum agendarum videbatur satis liber esse. Nihilominus Doctor Eichenseer affabiliter necnon firmiter curabat ut Latinitas cum diligentia coleretur.

Ad ultimam cenam cuncti aderant ut huius seminarii lustrum digne celebraretur. Gaius noster in oratione, iure et merito, Patri Caelesti gratias egit et eum qui tam diligenter Latinitatis Vivae iucunditates nobis ostendere scivit, dono, gratiae nostrae testimonio, donavit. Deinde Hirosius Harada delectabile carmen parvum dixit et Berendus Visser telephonicum colloquio nos oblectavit. Postea nonnullae de feminarum cultu fabulam egerunt egregia saltatione confectam. Denique Iohannes-Albertus Moreno-Tortuero lingua Hispanica orationem habuit quam extemplo Iacina Verreet in linguam Latinam et Iohannes-Paulus Bauer in linguam Francogallicam transtulerunt.

Ultimo die, post breviorum conventum, tristes, omnes secesserunt sed sperantes fore ut mox Latinitatis studio stimulati reviserent.

Quid denique hoc seminario assecuti sumus? Studium celerius legendi, aperto libro, atque recte pronuntiandi, bono cum accentu; curiositatem erga auctores parum notos (v.g. mediaevales) et materias singulares (v.g. musicam antiquam, metricam); meliorem grammaticae notionem, cum in loquendo sine difficultate saepius uteremur duplici dativo gerundivoque. Quod ad paedagogiam pertinet, intelleximus paedagogiam activam adhibendam esse atque studentes colloquiis facilius discere.

Attamen difficultates surgunt: nobis desunt et consuetudo et methodus et instrumenta paedagogica et moderamen. Qua de causa cooperatio nata est inter Francogalliam et Belgium. Antequam peritiores fiamus, in schola iam possumus parvos sermones Latinos proferre atque longiores textus palam legere. Utinam linguae Latinae institutio, huius dynamismi gratia, iterum floreat.

Andreas Pierucci, Franciscus Hazet,  
Natalis Dubus, Ioel Joubert.

## Sessio circuli Belgici

5° m. Dec. anno 1987° iucundissime peracta est!

Quam felices sumus nos Latinizantes, quod diversi circuli Latini exstant, quos visere licet! Ita etiam inter longum temporis spatium, ubi non seminaria Latinitatis Vivae habentur, occasio Latine loquendi datur; amicitias renovare atque confirmare, res novissimas in mundo Latino effectas disputare, nonnullas horas quasi Europaeas vivere sunt deliciae vitae paene ineffabiles. Talibus deliciis mihi nuper frui licuit in Belgica: die Sabbati 5° m. Dec. circuli Belgici sessionem participavi, quae a 15<sup>a</sup> hora usque ad 22<sup>am</sup> horam in oppido Hyon apud Iacinam Verreet habita, quin etiam festive celebrata est. Erasmus quindecim sodales ex tribus nationibus Europaeis, decem ex Belgica: Theodericus Sacré et eius uxor, quorum lingua paterna est lingua Nederlandica, Iacina Verreet, Francisca Deraedt, Cantalia Midol, Iulius Rossignol atque Bruxellenses Alanus Van Dievoet et Corinna Diana Gatusque Licoppe; quattuor novi amici ex Francogallia: Natalis Dubus.



Th. Sacré Natalis Dubus  
(sequitur p.14)

# De litteris Finnorum Latinis.

Litterae Latinae in Finnorum patriam circa medium saeculi duodecimi una cum religione Christiana introductae sunt. Primus in Finnia episcopus fuit Beatus Henricus, ex Britannia oriundus, qui anno 1156° a quodam Finno rustico necatus est. Episcopus Henricus etiam primus in Finnia linguae Latinae magister appellari potest, nam, quantum scimus, eo brevi tempore, quod apud Finnos degit, res ecclesiasticas ordinavit et, sicut apud neophytos fieri solebat, etiam litterarum notitiae promovendae operam navavit.

Primis Christianismi temporibus, i.e. saeculis duodecimo et tertio decimo, eruditio Latina in Finnia admodum tenuis et limitata fuit. Probabiliter alii atque viri ecclesiastici Latine vix sciebant. Primum specimen Latinitatis viri Finnicae originis, quod nobis remansit, est documentum anno 1295° scriptum, cuius auctor est nonus Finniae episcopus nomine Magnus. Eodem fere tempore compositi sunt et prosaici et poetici textus Latini ad cultum patroni Finnorum, supra dicti Beati Henrici pertinentes. Unus ex his est hymnus nomine «Ramus virens olivarum», in qua singularum stropharum primae litterae faciunt acrostichidem auctoris Ragvaldi, qui decimus fuit Aboensis episcopus annis 1309-21. Apparet ergo Finnam exeunte tertio decimo et ineunte quarto decimo saeculo tam arte cum orbe Latino coniunctam fuisse, ut litterae Latinae et poeticae et prosaicae apud indigenas orerentur.

Praecipuum specimen primae in Finnia Latinitatis est «Catalogus et ordinaria successio episcoporum Finlandensium», qui brevius «Chronicon episcoporum Finlandensium» appellatur. Continet vitas viginti sex pontificum Finnae a Beato Henrico usque ad Petrum Follingium, qui praesul Aboensis fuit annis 1558-63. Chronicon illud paulatim scribebatur, cum singuli episcopi adnotationes de rebus notatu dignis et suis praedecessoribus faciebant. Quas collegit episcopus Paulus Juusten circiter anno 1565°, qui etiam ultimam Chronici partem amplificavit et prologum adiunxit. Chronicon episcoporum est historiae Finnorum mediaevalis primum fundamentum. In eo describuntur initia, progressus et incrementa Finnorum ecclesiae, hostium incursiones et bella gesta, mutationes et reformationes, quid cuiusque episcopi tempore acciderit. Manuscriptum Chronici a Juusteno compositum diu circumferebatur, donec anno 1728° primum typis vulgatum est. Annis 1784-1800 Henricus Gabriel Porthan, professor eloquentiae Aboensis, textum amplis commentariis instructum denuo edidit.

Praeter episcoporum Chronicon, ad Finnorum litteras Latinas mediaevales pertinent textus ecclesiastici, documenta historica, cantiones et cetera, quae omnia diligenter enumerantur in praefatione Glossarii Latinitatis Mediaevi Finlandicae, a Reino Hakamies anno 1958° editi (= Documenta historica, quibus res nationum septentrionalium illustrantur, edidit Academia Scientiarum Fennica, X, Hel-

sinki 1958°). Ex poesi nostra mediaevali maxime notabiles sunt cantiones ecclesiasticae et scholasticae, quarum collectio nomine «Plae cantiones» Greifswaldiae anno 1582° Finnis curantibus typis impressa est. Insunt in hac collectione omnino 91 cantiones, ex quibus 67 sunt mediaevales. Dimidia fere pars earum in peregrinis quoque fontibus invenitur, sed plurimae sunt etiam Finnicae originis. In scholis nostris per saecula cantatae sunt et hodie saepissime Latina lingua canuntur.

Collegium sive capitulum canonicorum in ecclesia Finnorum Aboensi anno 1276° constitutum est. De schola Cathedrali eiusdem urbis primum testimonium certum est anni 1326° sed verisimiliter iam saeculo priore erat fundata. Primam studiorum universitatem, Academiam Aboensem, Finnis anno 1640° constituit Christina Suecorum regina, illa, quae, ut bene notum est, abdicata corona postea Romae vixit et in Basilica Sancti Petri ibidem sepulta est. Finnia enim post illatam Christianam doctrinam pars fuit regni Suecorum, donec anno 1809° cum imperio Russorum coniuncta est. Libertatem et independentiam tandem revolutione rerum in Russia anno 1917° facta obtinuit.

Ante Academiam Aboae conditam iuvenes Finni in honores ecclesiasticos aut saeculares nitentes studia academia peregre, Parisiis, Pragae, Lipsiae, Erfordiae, Rostochii alibique, exercere solebant. Primi studenti Finni Parisiis iam anno 1313° inveniuntur et duobus fere postea saeculis (annis 1313-1519) 140, annis 1525-1640 circiter 320 nomina Finnorum in albis academicis peregrinis reperta sunt. Verus numerus certe multo maior fuit, nam matrices sunt lacunosae neque studenti Finni inter ceteros semper facile agnoscuntur.

Finni in academiis studenti, sicut mos erat illis temporibus, Latinas dissertationes et orationes scripserunt et ediderunt. Quarum omnium aut nomine tantum notarum aut adhuc exstantium catalogum composuit Carolus G. Leinberg (Dissertationes / Orationes Finnorum extra patriam, Helsingforsiae 1900/1902). Ante annum 1640<sup>um</sup> scriptae sunt a Finnis studentibus 15 dissertationes Upsalienses, 9 Wittenbergienses, 8 Rostochienses; in ceteris studiorum universitatibus publicarum dissertationum 14 est numerus. Itemque orationes academicae ab eisdem scriptae admodum multae sunt.

Familiaritatem, quam iam Medio aevo cum Musis Latinis iunxerant, Finni etiam subsequentibus saeculis retinuerunt. Multos per annos operam dedi, ut versus Latinos annis 1500-1640 a Finnis compositos in unum colligerem et notis instructos vulgarem. Quod opus iam ita perfecti, ut potissima de eius temporis versificatione nostra referam. Materia collecta continet 67 poemata 35 auctorum. Numerus versuum est 2605. Gratulationes ad promotiones academicas scriptae sunt 15, carmina funeralia 13, epithalamia 9, propemptica et carmina valedictoria 6, et cetera. Omnia sunt metricae composita, et, sicut humanismi tempore fieri sole-



bat, auctores carminum plurimas a poetis Romanis aureae aetatis locutiones mutuaverunt. -ti rnt f  
 Prima in Finnia typographia in usum praesertim Academiae Aboensis condita est anno 1642°. Quod eventum maximam ad Finnorum litteras divulgandas vim habuit. Academia Aboensis usque ad annum 1827<sup>um</sup> floruit, quo, cum Aboa incendio deleta esset, in urbem Helsinki translata est et hodie Latine «Universitas Helsingiensis» appellatur, sicut in eius sigillo legitur. In Academia Aboensi iam septimo decimo saeculo circiter 1800 orationes et dissertationes Latinae publicatae sunt. Hodie dissertationum Latinarum in Finnia publicarum numerus est 4749. In singulis dissertationibus plerumque insunt versus Latini dedicatorii et gratulatorii, neque quisquam adhuc computavit, quantus sit numerus horum poematum. Exstant praeterea plurima poemata academica ad promotiones ceterosque universitatis dies festos composita, quorum tantam in Bibliotheca Universitatis Helsingiensis struem meis oculis vidi, ut facile dicere ausim litteras Finnorum Latinas (ad) minimum 100.000 versuum continere. Forsitan numerus etiam duplicandus est.

De litteris nostris Latinis saeculorum sexti et septimi decimi commentarium lingua Suecica scripsi, qui Hafniae Danorum anno 1977° editus est (Lati-

nen i Norden 1500-1700, Opuscula Graecolatina 11, Museum Tusculanum, pp. 35-56). Id nihil fere aliud est atque catalogus, ubi scripta huius aetatis principalia enumerantur. Quoad posteriorum saeculorum litteraturam Latinam, nullam adhuc habemus descriptionem perfectam, exceptis tamen dissertationibus academicis Aboensibus, quae a Jorma Vallinkoski, bibliothecario Universitatis Helsingiensis, diligentissime in catalogum sunt relatae (Die Dissertationen der alten Universität Turku, I 1962-66, II 1967-69).

Affirmare possum usum linguae Latinae, et litterarum et oralem, octo saeculorum spatio in Finno-  
 rum patria numquam desisse, quamquam post medium undevicesimum saeculum apud nos, sicut alibi, intra fines circumscriptiones remansit.

De condicione Latinitatis in Suecica, cuius pars Finnia, ut supra narraui, ad iniens undevicesimum saeculum fuit, optimum edidit librum professor Suecus Emin Tengström (Latinet i Sverige, 1973). De praeteriti et huius saeculi Finnico cultu Latinitatis in Symposio Saravipontano (28.-29.8.1987) breviter rettulit collega meus Gregorius (Reijo) Pitkäranta. Quod ego ideo in medio relinquo.

Thomas (Tuomo) Pekkanen  
 Finnus.

## De Graecia Salentina.

Pauci sciunt insulam linguisticam Graecam adhuc superesse in Italia meridionali. Quam rem fortuito comperi e Theoderico Van Comperolle, iuvene archaeologo Bruxellensi, qui quotannis effossiones archaeologicas facit in Apulia. Mihi nar-  
 raverat non longe ab antiqua civitate Lupiis (Lecce), cuius situm perscrutatur, esse pagum cui nomen «Calimera», ubi habitantes dialecto Graeca inter se utuntur. Καλιμερα! est nomen vere Graecum!

Curiositate impulsus, occasionem cepi itineris quod una cum P. Caeleste Eichenseer mense Aprili in Italiam feci.

Martis die 21°, post brevem Lupiarum lustrationem, hora tertia postmeridiana pagum «Calimera», qui Lupiis viginti chiliometris distat ad meridiem versus, petivimus.

Mox pagum intravimus, qui aspectu non differt a ceteris huius regionis. Ego de lingua Graeca tantum habeo notiones scholares; sed P. Caelestis sat bene novit linguam Graecam hodiernam. Hic ergo paganos interrogavit «loquerenturne Graece», imprimis nonnullis in viis de ipsa autoraeda. Infeliciter videbantur timidi; nostris quaestionibus Italiane dabant responsa media.

Quae cum ita essent, raedam collocavimus in platea principali et pedibus rem aggressi sumus. Ante portam domus communalis sedebant atque otio fruebantur nonnulli viri iam non iuvenes. Eos statim adimus, salutavimus et de eorum sermone Graeco interrogavimus. Quamquam vere affabiles erant hi homines, perdifficile fuit efficere ut aliquid Graece dicere vellent. Imprimis timebant ne nos perfecte calleremus linguam Graecam et nolebant suae dialecti barbariem patefacere. Timidiores fie-

bant, cum viderent nos eorum verba magnetophono recepturos esse. Tunc advenit vir, qui, postquam comperit nos suae regionis curiosos esse, nobis mirabilia monstrare voluit. Quocum autoraeda vecti, omnia loca visu digna minute lustravimus. Dixit se Thomam vocari et scholae magistrum esse. Nos domum suam invitavit ad cafeam sorbillandam. Multa narravit de regione sua, quae vocatur Graecia Salentina et cuius caput est Calimera. Pro nobis libellos praeconios petivit ab Officio Culturali.

Salenti nucleus hellenophonus maior olim fuit quam nostra aetate, qua tantum ex novem municipiis constat. Quibus in municipiis, seniores tantum homines adhuc solent Graece colloqui, plerumque domi; iuvenes dialecto Graeca iam non utuntur, multi tamen intellegunt parentum verba Graeca. Cum originalis Graeca cultura Salentina mox peritura esset, nisi auxilium acciperet, administratio Regionis Apuliae anno 1979° instituit Officium Culturale (v. Centro Servizi Culturali), cuius sedem collocavit Calimerae. Quod officium non tantum edit libellos «Calimera nella Grècia Salentina» sed curat ut iterum consuetudo iungatur cum ipsa Graecia. Quo in animo multimodis celebratur quotannis mense Iulio per totam septimanam cognatio Graecorum Salenti atque Helladis, praeside legato Reipublicae Graecae in Italia.

Sunt qui dicant Graeciam Salentinam vestigium esse Magnae Graeciae. Hoc tamen vix comprobari potest. Probabilius est linguam Graecam in Salento iterum in usum venisse, tempore imperatoris Byzantini Iustiniani cum post bellum Byzantino-Go-

thicum (535-553 post Ch. n.) milites, coloni, functionarii et ecclesiastici Byzantini hanc regionem occupaverunt.

Cum, VIII° et IX° saeculo, in Imperio Byzantino saeviebat persecutio iconoclasta, iconoduli monachi Graeci in Salentum confugerunt, ubi in speluncis locorum desertorum vixerunt.

Post persecutionem iconoclasticam a° 843° finitam, monachi loca cryptica reliquerunt et monasteria aedificaverunt, quorum famosissimum nomen habet Sancti Nicolai «di Casole» prope urbem Hydruntum (Otranto).

Ibi anno 1160° condita est studiorum universitas, in qua humanismus iam ante floruit quam in Italia centrali et septentrionali. Ibi multa manuscripta Graeca et Latina transcripta et in posterum transmissa sunt.

Momentum culturae Graecae in Salento minui coepit XI° s. cum Normanni hanc regionem Byzantinis rapuerunt. Sub ditione Normannorum et postea Andegavorum et Aragonensium potestas Ecclesiae Romanae aucta est, quae moleste ferebat heterodoxiam Graecam.

Suppressa liturgia Graeca, Graeci inter se dialecto Graeca colloqui perrexerunt. Recentioribus tamen temporibus, propter incrementum communicationis inter hominum, quae tantum sermone Italiano fit, paulatim haec dialectus in oblivionem ~~revertit~~.

Graecia Salentina magnum habuit poetam superiore saeculo, Calimeram natum, cui nomen Vitus PALUMBO. Qui vir, dialectorum Graecarum in Hellade vel extra Helladem vigentium peritissimus, acroasin habuit Athenis in circulo philologico, cui nomen Parnassos, m. Maio anni 1896°. Cuius acroasis textus satis longus, lingua Graeca, quae dicitur *καθαρευουσα*, conscriptus est. Amicus noster Iohannes Albertus Moreno-Tortuero, qui linguae Graecae hodiernae etiam studet, hanc acroasin pro nobis legit, de qua brevem summam Latinam nobis conscripsit:

•Viti Palumbo consilium est a Graecis auxilium petere ad scholam Graecam in Salento condere, ne sermo Graecus in hac regione pereat. Ut Graecis de necessitate talis scholae condendae persuadeat, multa narrat de patria sua et de hellenismo in hac regione, inter quae haec pauca dicenda sunt.

•Imprimis, magni momenti illi est monstrare affinitatem inter Graecos ipsos et illos Hellenosalentinos. Ea de causa multa narrat de ruinis Graecis adhuc exstantibus, simul atque de Graeco ethnico elemento in illa Italica regione. Linguam ipsam diversam esse censet, praesertim in Calabria, nec tantum ad Magnam Graeciam referri posse quam ad Graeciam Byzantinam.


•Tres distinguit regiones Italicas ubi tunc temporis utebantur lingua Graeca:

- Corsica (de qua numerosae publicationes exstant)

- Calabria

- Salentina (regio maximi momenti quia illi est numerus maximus incolarum: 25000).

•Regio Salentina omnino ~~discessit~~ a cultura Italica, suam ipsam propriam indolem vult colere. Vitus Palumbo, ne urbem suam propter nimium amorem patrium nimis exornatam praerberet, usus



utebantur lingua Graeca:

- Corsica (de qua numerosae publicationes exstant)

- Calabria

- Salentina (regio maximi momenti quia illi est numerus maximus incolarum: 25000).

•Regio Salentina omnino ~~discessit~~ a cultura Italica, suam ipsam propriam indolem vult colere. Vitus Palumbo, ne urbem suam propter nimium amorem patrium nimis exornatam praerberet, usus est textu a Gustavo Maner, amico suo, conscripto, cum ille Gustavus Maner Calimeram anno 1890° vidisset. Qui asseverat linguam Graecam in urbe Calimera exstantem non multum differre a lingua in Graecia tunc temporis usitata, atque nonnulla de incolis et moribus narrat.

•Vitus Palumbo ipse suam sententiam de origine coloniae Graecae in Italia proponit: colonia, inquit, oritur ab emigrantibus Byzantinis, e saeculo VII° usque ad saeculum XI°m, qui inter se miscuntur usque ad saeculum XVI°m. Iam XI° saeculo ea regio commercium cum Byzantinis ipsis omnino deposuit; qua de causa suam propriam indolem coluit.

•Quod ad litteras illius regionis pertinet, poesia popularis formam suam ab Italicis litteris saeculo XV° florentibus suscepit, sua propria anima addita. Attamen, Vitus Palumbo fatetur iuvenes cantilenas populares non iam discere, duabus de causis: traditio eis non iam est tanti momenti, atque commercium cum Italis augetur. Nihilominus Palumbo solutiones proponit: inter alias, edidit libellum cantilenarum popularium.

•Ut homines Graecos sciant quanto in discrimine res se habeat, etiam ratio praebet: in medio XVIII° saeculo 30 vici Graece loquebantur; ineunte XIX° saeculo, 14; exeunte XIX°, tantum 9. Timendum est ne intra paucos annos omnia vestigia hellenismi deleantur. Qua de causa Vitus Palumbo Graecos rogat ut scholam linguae Graecae condere velint, ne pereat lingua Graeca in Italia.

Gaius Licoppe et Iohannes-Albertus Moreno-Tortuero.

# DIDASCALICA

## Epistula aperta magistris linguae latinae.

Fortasse advenit tempus ut scrutemur funditus et animose methodum quam in nostris scholis hucusque secuti sumus in docenda lingua latina per circiter unum saeculum et dimidium.

Quomodo nos gessimus et hodie quoque nos gerimus? Inspicitur tantummodo lingua Scriptorum praesertim aetatis «aureae», a qua deprimimus exempla et normas syntacticas, ita ut possimus ducere discipulos ad interpretandos Auctores et ad eos imitandos in versionibus a lingua patria in latinum.

Contra, usque ad inens saeculum undevicesimum, lingua latina discebatur modo magis secundum naturam, exercendo discipulos sive ad adhibendum sermonem latinum colidianum, «colloquiale», sive ad interpretandos et ad imitandos Classicos † auctores.

Vobis adducam exemplum. In bibliotheca comitis Monaldi Leopardi, patris clarissimi poetae italici Iacobi Leopardi (1798-1837), inter varia folia inventum est «nuntium Academiae», per quam tres fratres Leopardi, Iacobus Paulina Carolus, rogandi erant de progressibus factis in variis disciplinis quas eis per complures menses explanaverat praeceptor. Agebatur nempe de eo quod hodie vocamus «examen», «periculum»; examinatores (Tert.) erant ipsi coniuncti qui congregabantur in amplo oeco palatii et ibi singillatim interrogabant adolescentulos.

In extremo nuntio, legitur haec adnotatio: «Tres fratres sunt parati ad respondendum italice quoque». Videlicet rogationes et responsa fiebant latine; si quis autem ex propinquis non iam secure † certe licite calleret linguam latinam, ei licebat rogare italice, cui adolescentuli responsuri essent italice, non, sicut mos erat, latine.

Revera, donec lingua gallica, post aetatem napoleonicam, non [facta] est lingua communis totius Europae, ipsa lingua latina, sua duplici veste colloquiali et litteraria, locum tenuit linguae, ut hodie dicimus, «vehicularis» inter omnes viros europaeos nonnullius culturae, † culturae humanae.

Hodie vero, notabilis pars magistrorum latinae linguae, sive in Europa sive in America, ex se quaerit nonne tandem pervenerit tempus ut resumatur illa antiqua didactica et lingua latina incipiat doceri tamquam lingua viva, eodem modo quo hodie docentur linguae hodiernae.

Quid autem facit magister e.g. linguae gallicae? Iam a prima praelectione, miscet callide et scite linguam patriam et linguam gallicam, ita ut discipuli, allecti exemplo magistri, sensim inducantur ad adhibendam, utique cautissime et planissime, linguam exteram. Cum autem discipuli iam valuerint adhibere, etsi simplicissime, novam linguam, tunc incipiet contactus cum Auctoribus illius linguae exterae, dum vero prosequetur usus vivus magis magisque uber et accuratus ipsius linguae exterae.


Qua ratione non possint idem peragere magistri linguae latinae? Cur iam a primo ingressu in oecum scholasticum non incipiant miscere linguam patriam et latinam explicantes primas planissimas regulas, prima simplicissima paradigmata, prima rudimenta syntactica, ita ut discipuli audiant tandem loqui latine et pedetemptim attrahantur ad adhibendam et ipsi linguam latinam?

Quaerent fortasse collegae quomodo fieri possit ut ipsi incipiant adhibere, e vestigio, linguam latinam vivam. Ego respondebo interrogans qua ratione, qui orditur discere aliquam novam linguam exteram, cum incipiat eam adhibere, cogatur interru pere assidue sermonem. Ratio est evidens: ille adhuc ignorat plurima vocabula novae linguae.

Nos autem, magistri linguae latinae, sumus quodammodo lexica latina viventia; novimus innumera vocabula, scimus flectere quodlibet verbum, cognoscimus adverbia, coniunctiones, praepositiones, sescentas constructiones... Haec vero ingens materies iacet in nostris mentibus, ut iam alias notavi, quodammodo «sopita», ideo, cum conemur sermocinari latine, haec amplissima materies est tardior quam ut possit tempestive prodire in conspectum memoriae, et exinde ad buccam (Cic.). Id ergo quo caremus ut possimus libere et secure sermocinari latine est exercitium, quod expergeficiat «coacervum lexicalem» sopitum et eum instruat opportuna «celeritate adventus» coram mente.

Quod vero adfirmo non est adseveratio solummodo abstracta (Isid.): eius veritatem optime experti sunt qui participaverint vel Seminaria vel Férias latinas, quas qui participant, utuntur, ad propria cogitata invicem communicanda, solummodo lingua latina.

Et mirum est quam cito, post balbam et incertam loquelam primi vel secundi diei, illi qui, mersi per annos in interpretatione † auctorum Classicorum, numquam descenderint ad simplicem sermocinationem latinam, nunc, post unam hebdomadam



Propter quasdam difficultates technicas, Rudentis delineationes hoc in numero edi non potuerunt. Rudentem lectores in proximo Melissae numero rursus invenient.



incantamenti latini, iam valeant exprimere sua cogitata, etsi lente et caute, lingua latina simplici et recta, iam idonei ad eam reddendam magis magisque uberem et securam.

relin  
venerunt  
certam

dae coniugationis, -ere (cum accentu super tertiam ab ultima (terzultima - antépénultième - last but two - drittletzte) est propria tertiae coniugationis, -ire est propria quartae coniugationis.

At exstat alia quoque via, quae omnibus nobis in promptu est, inchoandi usum linguae latinae vivae.

Magister, deambulans solus in suo conclavi scriptorio, elata voce incipiat exponere, simplicissimovlatino, aliquam ex primis regulis vel notionibus, tenens in promptu lexicon latinum, si forte interdum ei accidat aliquod vacuum memoriae.

Post aliquam titubationem et haesitationem, mirum est quam celeriter expositio fiat clara et expedita: qui enim loquitur, est quoddam lexicon latinum vivens!

At hic iuvabunt exempla: Conetur aliquis nostrum explicare latino planissimo notionem subiecti et obiecti. Sic incipere possit:

Inspicite has duas propositiones, quas scribo in tabula nigra: l'agnello corre (l'agneau court - the lamb runs - das Lamm läuft); io accarezzo l'agnello (je caresse l'agneau - I stroke the lamb - ich streiche das Lamm).

In priore propositione, agnus facit actum currendi; in secunda propositione, ego facio actum mulcendi, agnus contra patitur, subit meum actum. Nunc, bene attentis ad hoc principium: ille qui facit actum, vocatur Subiectum; ille qui subit actum, vocatur Obiectum vel Complementum obiectum. Ut omnes scimus, linguae romanicae faciunt nullum discrimen inter Obiectum et Subiectum, quod attinet ad terminationem substantivi; contra, lingua latina distinguit accurate: Subiectum ponitur in casu Nominativo, contra, Obiectum ponitur in casu accusativo, cum propriis terminationibus, secundum varias declinationes. Videamus exemplum primae declinationis:

stella fulget = ego prospicio stellam  
stellae fulgent = ego prospicio stellas

Ecce exemplum secundae declinationis:

agnus currit = ego mulceo agnum  
agni currunt = ego mulceo agnos

Nunc autem noster magister conetur offerre discipulis simplicem notionem quattuor coniugationum:

Hodie loquemur de verbis latinis, estote ergo bene attentis. Omnia verba latina distribuuntur in quattuor familias, quae vocantur coniugationes. Distinguuntur inter se ex terminatione Infiniti. Inspicite haec quattuor exempla, quae scribo in tabula nigra:

laudare - videre - scribere - audire

Observate quattuor diversas terminationes: -are est propria primae coniugationis, -ere (cum accentu super paenultimam syllabam) est propria

Nunc ego scribam super tabulam nigram quattuor praesentia indicativa, separans radicem verbi a terminationibus et ponens singulos accentus:

laud-o	vid-eo	scrib-o	aud-io
laud-as	vid-es	scrib-is	aud-is
etc.	etc.	etc.	etc.

Nunc autem concedo vobis quartum horae (vel quadrantem horae), in quo vos debetis absorbere memoriter et perfecte quattuor praesentia.

Nunc audiamus A...B...C...

Haec quattuor verba, quae nunc didicistis, sunt verba exemplaria; per eorum exemplum, vos poteritis, distinguentes attente radices a terminationibus, formare praesens indicativum cuiuslibet verbi latini.

Transeamus ergo ad exercitationes: seligamus verba modo unius, modo alterius coniugationis et formemus eorum praesentia indicativa.

Reor haec duo exempla sufficere ad demonstrandum quam sit simplex initiari (Quint.) usui latini viri. Possum certiores facere collegas eiusmodi experientiam cito fore gratam, inde iucunde allicientem; non loquor de discipulis, quibus statim fit plenum delectationis et satisfactionis animadvertere se fieri sensim adulescentulos romanos.

Cuidam collegae, mihi roganti num tale latinum, ita siccum, inornatum, demissum, adhuc posset vocari latinum, respondi hanc obiectionem nasci ex communi praeiudicio unam esse linguam latinam, nempe linguam auctorum, linguam ideo latinam aut esse auream aut nullam. Quae afirmatio nihil est pura haeresis glottologica. Lingua latina cotidiana, colloquialis est pleno iure latina aequae ac lingua litteraria; numquam est obliviscendum prosam orationem Auctorum classicorum (Gell.) esse fructum exquisitum cohortis ingeniosissimorum Scriptorum, esse quodammodo sublimationem latini cotidiani, colloquialis, quod latinum cotidianum adhibitum est ab innumeris milibus Romanorum per circiter octo saecula, a Plauto usque ad Isidorum hispalensem, fuit nempe primum ontologicum linguae latinae, quae postea aucta et evecta est, ingenio Ciceronis, Caesaris, Taciti..., ad miram pulchritudinem et ad implicatam et architectonicam structuram latini litterarii.

Quam viam naturalem proponimus nos, fautores latini viri: cum discipuli id assecuti sint ut iam valeant exprimere, etsi caute et lente sua cogitata adhibentes linguam latinam, tunc tempus erit incipere fructuose contactum cum ipsis Auctoribus latinis, quos discipuli poterunt inter-

vivum  
venerunt

le

ru  
ru

um  
um

temporalis  
is

is

ru

trisi  
is

venerunt

venerunt

venerunt  
relin

pretari multo expeditius et facilius quam nunc fit; usus enim linguae latinae vivae iam eos adduxit ad cognoscenda non modo plurima vocabula, sed et varias conjunctiones et adverbia et praepositiones et eos docuit flectere quodvis verbum; non ergo debebunt saepissime se vertere ad lexicon, ut fit hodie, sed poterunt animum praesertim intendere ad potiendam constructionem, saepe subtiliter elaboratam, et ad plene interpretandam mentem Auctoris.

Nunc liceat tangere quid mihi, discipulo primae classis humanistici lycei, evenit quodam die. Conversus ad magistrum linguae latinae, quaesivi cur magister linguae gallicae loquatur gallice, linguae anglicae loquatur anglice, magister autem linguae latinae non explicet res latinas loquens latine.

Post brevem titubationem, mihi respondit: «Nos studemus linguae latinae triplici ratione: primum, quia studium huius linguae sic involutae et arduae, reddit intellectum acutiorem et agillorem; secundum, quia, cognoscentes linguam latinam, possumus haurire ab Auctoribus latinis, (qui constituunt quodammodo summam «culturae», ut hodie dicimus, Romanorum), illa principia humanitatis et civilis convictus, quae constituunt adhuc hodie fundamentum «culturae» occidentalis; tertio, quia ope linguae latinae, possumus non modo legere et intelligere «classicos romanos», sed etiam perfrui mira pulchritudine eorum operum. Ad quae assequenda, non indigemus usu linguae latinae vivae».

Tunc mansi tacitus, at hodie (quaesivissem) nonne tres illos fines, tria illa «obiectiva» multo facilius discipuli assequerentur si praecederet, tamquam aptissima «propedeutica», usus linguae vivae.

Neque quis obiiciat deficere tempus ad haec persequenda. Veluti enim, in tradendis linguis hodiernis, statim fit conjunctio, ut hodie dicitur, theoriae et praxis, sic in docenda lingua latina, potius quam tempus teratur in prolixis et minutis explicationibus lingua patria praesertim structurarum syntacticarum, nonne liquida et simplex enodatio praecipuarum regularum sive grammaticae sive syntaxis, oblata planissimo latino et dilata opportunis exercitationibus et brevibus ac perspicuis dialogis, multo aptius et citius praeperabit discipulos ad ineundum studium Auctorum?

Interpretatio autem Auctorum porriget hic illis occasionem magistris quo fusius et profundius illustrent et enucleent normas grammaticales et syntacticas, omnia vero mergentes in usum vivum linguae latinae.

Interroganti autem quomodo possint exprimi

latine omnes illae res novae, omnia illa nova inventa, quae technologia et progressus oeconomicus et civilis nobis hodie attulerunt, quorum ergo desunt aequipollentia latina, respondebo iam quadraginta annos, latinistas qui operam dant Periodicis, quibus tituli «Palaestra latina» (hispanica, nunc desita edi), «Vox latina» (germanica), «Latinitas» (vaticana), exornatos uberrima scientia linguae latinae, acri ingenio et subtili sensu aesthetico, obtemperantes legibus derivationis et analogiae, explevisse munus amplissimum et magnificentum, creantes quamlibet rem novam nostrorum temporum.

Cui autem sit cordi quaestio de neologismis, sciat nuper editum esse ab Editrice E L I (Editrix illa notissima, sita in urbe Recanati, quae in universum orbem terrarum dispersit ac dispergit nubeculatos libellos latinos) novum et opportunissimum lexicon latinum (exaratum a P. Mir, inter maximos latinistas nostrae aetatis), in quo fas est invenire cunctos hodie necessarios neologismos.

Ceterum, ne obliviscamur, adhibentes in scholis latinum colloquiale, paucos esse neologismos quibus indigemus, quibus quidem discipuli facile et gradatim potentiuntur.

Adnotetur adhuc hanc novam methodologiam docendi «latinum latine», nullam secum ferre mutationem «programmatum studii» quae dicuntur, quae manebunt intacta, immo poterunt augeri et locupletari.


Eia igitur, docti et optimi collegae linguae latinae, (me autem verto praesertim ad iuvenes, quippe qui promptiore consensu alliciantur novitatibus (Plin.) et acriore alacritate eas experiantur), conemur nos ipsi adhibere, per simplices exercitationes, linguam latinam vivam, persuasi (Val. Max.) hoc esse quodammodo irrationabile (paene dixi impolitum atque comicum) quod magister alicuius linguae nesciat se exprimere ea ipsa lingua.

Victi blanditia latini vivi, valebimus eam communicare cum nostris discipulis, attrahentes eos in iam amplissimam ac magis magisque augescentem legionem loquentium latine et reddentes eos paratos ad altius et expeditius colloquium cum Classicis latinis, qui illis tandem videbuntur esse non iam longinquitate temporum extranei et involuti Scriptores, sed quasi familiares concives eiusdem magnae civitatis latinae.

Guido ANGELINO - italus  
(Occimiano - AL)

## DE INSULA NIGRA

Domus editoria CASTERMAN nos modo monuit partem librorum, c.t. "De Insula Nigra", lexico Nederlandico auctam iam a mense Novembri in bibliopoliis peti posse, partem vero lexico Francogallico auctam tantum ex funte mense Ianuario venum datum iri.



## Franciscae meae laudes C. Baudelaire

Novis te cantabo chordis,  
O novelletum quod ludis  
In solitudine cordis.

Esto sertis implicata,  
O femina delicata  
Per quam solvuntur peccata!

Sicut beneficum Lethe,  
Hauriam oscula de te,  
Quae imbuta es magnete.

Quum vitiorum tempestas  
Turbabat omnes semitas,  
Apparuisti, Deitas,

Velut stella salutaris,  
In naufragiis amaris...  
Suspendam cor tuis aris!

Piscina plena virtutis,  
Fons aeternae iuventutis,  
Labris vocem redde mutis!

Quod erat spurcum, cremasti;  
Quod ruidius, exaequasti;  
Quod debile, confirmasti.

In fame mea taberna,  
In nocte mea lucerna,  
Recte me semper gubernas.

Adde nunc vires viribus,  
Dulce balneum suavibus  
Unguentatum odoribus!

Meos circa lumbos mica,  
O castitatis lorica,  
Aqua tincta seraphica;

Patera gemmis corusca,  
Panis salsus, mollis esca,  
Divinum vinum, Francisca!

Francisca quae fuerit, nescimus. Carolus Baudelaire sub titulo addit: «versus pro modista erudita piaque compositi» - sed haec videtur per iocum scripsisse.

Quod ad versus ipsos pertinet, patet hos non esse classicos, neque reapse versus esse, sed prosam Latinitatis deflorescentis. Prosodiaca huius poematis forma imitatur carmen «Dies irae»:

Dies irae, dies illa,  
Solvat saeculum in favilla,  
Teste David cum Sibylla.

Carolus Baudelaire, cuius indolem barocam, mysticam et inclinatum novimus, Latine scripsit, non ad exercitationem faciendam, sed propterea quod putat affectus melius exprimi lingua Latina - aetatis tamen non classicae, sed deflorescentis - quam lingua Francogallica. Catullum tamen non multum amat. Eum vocat «poetam beluinum epidemicumque», qui libidinem tantum viderit in amore. Ardens autem amor est mysticus.

Qui ardor, inquit, Latinis verbis pulcherrime redditur. Sol<sup>o</sup>ecismis, barbarismis, verbis novo modo acceptis, poeta denudat amatoris imperitiam, iuventutem, venustatem. Unum tantum exemplum lectoribus proponam: verbum *novelletum* (v. 2) ad plantas pertinet: est locus teneris arboribus praeditus. Baudelaire huic verbo novum sensum infert: *novelletum* hic potius est tenerum animal. Unde translatio Iulii Mouquet (*Vers latins de Baudelaire*, Mercure de France, 1933):  
«Je te chanterai sur des cordes nouvelles  
O ma bichette qui te joues  
Dans la solitude de mon coeur.»

Carolus Baudelaire - celeberrimus poeta Francogallus (Lutetiae Parisiorum, 1821-1867), famosus auctor illius libri c.t. "Mali Flores" - linguae Latinae iam a puero fuit peritus. Cum in schola disceret, magistri dicebant eum gravitate carere atque tantum versus Latinos perficere posse... Etenim sedecim annos natus erat cum haec in certamine quodam scholari scripsit:

Fuderat irriguam pacem nox languida: frigus  
Leniter afflabat terras, et littore toto  
Carpebat placidos morti gens proxima somnos.  
Infremuit pelagus: turgentes aequora longum  
Advolvere minas: collectis viribus, ingens  
In terram surrexit hiems: quasi conscia, signo  
Respondet tellus, et vi tremefacta latentī,  
Omnis concussis immugit ora cavernis.

# EX IAPONIA POEMATA...

*Hos lepidos versus ad nos  
amicissime misit  
Professor Arituneus Mizuno,  
Kiotensis, qui nobis favere  
numquam desiit.*

謹賀新年

V E R

Ne nimium gesti, Garamantidas audias quod ensi  
manus feroci Martio necatas,  
Flore sacer Martis, neu, cum tibi cesserit sub Orcum  
Vestae sacerdos, lacrimare pergas.  
inter enim Borean, Pan se loca repperisse gaudet,  
inducat in quae Pan aprica Nymphen; 6  
culmine nam nebulae lucescitur hinc et hinc salubri  
Phoebo, frui quo non diu licebit:  
iricolor niuium nubes ubi candicarit, ater  
succedet umor desinente bruma. 10  
nubibus in caecis et in Iride Iuppiter rapina  
caelo recepit Romulum, nefandis  
quem, quod abi scelus, a patribus tamen occidisse  
fama est:  
heu heu nepotes floreant in aeuum! 14  
Solis et accessu cum Tiburis arbores uirescunt,  
non Lydiam, non Lydiae sorores  
purpureus decorat Flacco nitor Hesperii uel Vrsae  
pulchras in umbris: o ubi renatus,  
cum tot Hamadryasin captis, quibus alites citentur,  
chordas trahentis uerna pulset Orpheus! 20

CECINIT KAL. IAN. A. V. C. MDMCCXLI  
ARITVNEVS MIZVNO

〒606 京都市左京区下鴨南茶ノ木町31-3 水野有庸

AD FLACCVM

Iesu Sancta uenit Nox Domini. "Deus  
uere est omnipotens: qui tot Horatios  
telluri dederat. Musa quibus placet,  
horum est laus Domini" nuntiat Angelus.

5 Quod numen uolitat munditiae potens,  
se fert huic homini, si libet, ultimis  
qui trans Oceanum transue feras domos  
in se mente pia uiuat in insulis.  
at cur, lucidior quod micat Hesperus  
10 uerno, cum decies gaudia iam canam,  
nil sermonis adhuc in patria tamen  
sentit Pieridas Romulei mea?  
Romam sed colui iam prope Caesarem  
Maecenatis odor, iunctus Horatio:  
15 qui quocumque tulit, me comitem sequi,  
tamquam nos traherent uincula, cerneres,  
cum uati radios ante remiseram,  
quam uix egrederer: tunc Helicon erat  
ex communibus, o Flacce, sacerrimus,  
20 hinc ut qui biberes optima nectarum!  
sic perges legier gentibus orbium  
cunctisque, integer et diue, legentibus  
uoces, uiue, dabis, sidera commouens,  
sublimis: obeat, si minus, et Iapo.  
25 sed, caelebs fueris, sint licet heu mihi  
coniunx et pueri bellaque nesciam:  
si quid, Flacce, tibi est par Asia, nouo  
Musae dede comam palmite cingier.

CECINIT, NATALI DOMINICO APPETENTE

ANNI MCMLXXXVII,

ARITVNEVS MIZVNO (IAPC)

Angioplastia trans lumen arteriarum coronariarum iuxta experientiam  
portionis haemodynamiae nosocomii Matritensis Ramon y Cajal 13

Ubiq[ue] hac in agendi forma aegroti seliguntur, optimo sensu, ante omnia utilitatem quaerendam quam unusquisque medicus semper in suis silentio ac mente operatur clara. Angustias arteriarum supra 75 % coronariarum esse seu prementis momenti aptas; infra hunc numerum aut interpretationem rei morbum favendum quod angustiae vasorum interventu peracto apertissime crescunt, unde longe lateque reprobetur operatio devitaturve. Quum obstructio nullum sanguinis fluxum sin[ist]r[um] quia plenissima sit, aegroti hanc portantes excluduntur ac candidati chirurgici forte fiunt. Arcta obstructio neque fili ductoris transitum permittit neque urokinasa, qua prae aliis aliquoties utimur substantiis digerendo thrombum vel sanguinis coagulum aptis, adhibita pervium vasis lumen\* aliquoties facit; ubi urokinasa coagulum sanguineum brevissimi temporis esse formationis oportet adhibeatur, substantia digestionis capax magni pretii. Ergo arcta obstructio nostrae praxi nullo pacto tradatur. Secus si lamina angustias praebens durior sit pessimam nullamve dilatationem favet, tunc pressura fili ductoris, aliquando et glomuli aere pleni catheteris cuticulam internam vasorum laedit, dilaniat aut rumpit, idcirco aut arteria iam aegrotata obstruitur, aut infarctus myocardii datur, sequitur: semper maxima implicatio ad mortem vehere potest aut ad chirurgi manus infortunio dispari. Etiam vias expeditas seu sufficientes collaterales observari antequam praxis angioplastia\* statuatur oportet; si fortuito actu impervium lumen\* fit ne ad chirurgi perrecturus aegrotus cavendum, dum possibile sit. Ergo arteria principalis angustia praedita minimo sive insufficienti sanguinis fluxu fortasse infortunium timendo devitanda. Dilatationes trunci communis coronariae sinistrae ob implicationum gravitatem omittantur.

Ubi duae arteriae afficiuntur, pro opportunitate ordo constituendus; aliquoties ipsum vas duas ostendit angustias quae dilatatione adiuventur, aut tantum earum una, tunc prout in unoquoque operatio praxim dominetur agitur. Angustiae ab ostio longinquiores coronario processu et obliviscuntur. pendere??

En nostra quoad trecentimum aegrotum pridie Idus Februarii nostri anni peractum: pridie Nonas Iunii 1982 incepimus. coepimus: rem inchoamus

1. Intra quinquaginta primos aegrotos: Praxim non superarunt 16; quorum 2 urgenti petitione ad chirurgi transiere, obierunt: altera femina, alter vir. Etiam alter eorum infarctu myocardico subito laboravit, absque implicationibus ulterioribus.

Ceterorum 4 cum angustia finali supra 40% numerandi.

2. Primum centenarium (numeros 1 - 100), superioribus allatis: Nulla dilatatione 26 (26%); quorum 2 obierunt (superius), alter infarctu myocardii affectus (superius), alter ad chirurgum qui pontem venosum accommodavit.

Denique 10 dilatationes imperfectas, supra 40%, tantum adquisiverunt.

3. Secundum centenarium (n. 101-200): Nulla dilatatione 23 (23%), quorum 2 ad chirurgi gratia accommodandi pontes venosos perrexere; alter infarctu myocardii absque implicationibus afficitur.

Denique 7 dilatationes imperfectas, supra 40%.

4. Tertium centenarium (n. 201 - 300): Nulla dilatatione 30 (30%); quorum 3 viri obierunt: alter sub chirurgo, duo in ipsa mensa explorationis fibrillatione ventriculorum irregibili; alter infarctu myocardii implicatione nulla adaucta.

Denique 4 dilatationes imperfectas, supra 40%.

Compendium superiorum allatorum: Quoad 300 aegrotos sub angioplastia intra lumen: Moriuntur aut in mensa explorationis aut sub chirurgo urgenti modo accersito: 1,67%. Nulla effectio: 26,34%.

Cum angustia vasorum supra 40% : 7%. Optima dilatatione immediata vi, infra 40% : 66,66%.

Notandum:

Feminae iuxta nos minor numero in arteriis coronariis morbo afficiuntur, ut solent, atque ab omnibus et medicis et chirurgis scitur; attamen aegritudine data textus internus\* vasorum qui endotelium et nuncupatur fragilis fit, et alia diversi generis eis apponuntur unde semper quadam fortuna prosequuntur.

Summum explorationum haemodynamicae\* partis ab initio ad Kalendas Ianuarias nostri anni 9.136 apponitur, quarum coronariis morbis saltem suspitione seria laborantes videlicet numerantur:

Ab initio ad 1984 : omnes coronarii aegroti 1350; quorum 150 feminae.

Per 1984 : omnes 810; quorum 93 feminae.

Per 1985 : omnes 955; quorum 129 feminae.

Per 1986 : omnes 1218; quorum 130 feminae.

Unde resolvitur: aegroti coronarii laborantes, saltem clinica suspitione, ab initio ad annum 1987 4333 referuntur, quorum eadem suspitione 502 feminae (11,6%).

Quoad angioplastiam intra lumen:

Numeri 1 - 50 : 6 feminae.

Numeri 1 - 100 : 10 feminae.

Numeri 101 - 200 : 13 feminae.

Numeri 201 - 300 : 6 feminae.

Circa 9,7% feminarum.

Per 9136 explorationes relatas 0,34% ab ipsis continuo pendentes decessere. Inter nos aegroti a portione attentionis continuae definita gravitatis causa procedentes decessorum numerum adaugent, praesertim ob contusiones sive plagas aut thrombolismum pulmonum dictum cuius plan inimica originis, nam nos quoque urgentes operamur.

Hoc in Officio Haemodynamiae atque Angiocardiographiae tres medici sumus, iuxta quendam ordinem: Eustasius Sanchez Fernandez-Villaran, Iacobus Pey Yllera, Ramirus Martin de Dios, qui huic rationi interfuimus.

Eustasius Sanchez F. - Villaran Matritensis. \* (adnotationes p. 14)

?)  
1mm

rectio  
emcedat

?)  
effectus

?)  
?)

?)

Le

?)  
?)  
?)

?)  
?)  
?)  
?)  
?)

?)

?)



**Angioplastia trans lumen arteriarum coronaria-  
rum: Melissae adnotationes**

(sequitur p.13)

Cum Fundatio nostra res lexicographicas curaret atque hoc anno specialiter in lexicographia medica incubuisset, nobis utile visum est pauca verba huius scripti iudicare, quae non congruunt cum terminologia Latina iam accepta:

- **lumen, inis:** estne comprobanda haec verbi «luminis» significatio? Tam frequenter «lumen» et adiectiva derivata hodie a medicis adhibentur ut hoc vocabulum vere Latinum vix reicere possimus. Praeterea, iam antiquitus haec significatio nuntiabatur, cum

lumen iam apud Ciceronem significaret foramen («duo lumina ab animo ad oculos perforata» Cic. Nat. 3,9) et apud Plinium aeris ductum (Plin. 31,57).

- **angioplastia:** rectius Latine scribendum est «angioplastica» (*Lexicon Medicum, Anglicum, Russicum, Gallicum, Germanicum, Latium, Polonum, Varsaviae* 1971).

- **haemodynamia:** rectius Latine scribendum est «haemodynamica» (*Lex. Med. Vars. 1971*), Angl. hemodynamics, Fr. hémodynamique, Th. Häodynamik.

- **40 %** = quadragenae centesimae (partes).

- **textus internus:** rectius Latine dicendum «tunica interna» (*lex. med. Vars. 1971*).

## EX ORBE LATINO

Post Conventum Romanum, de quo in *Melissa* 21<sup>a</sup> rettulimus, optimus sodalis noster Mediolanensis hanc epistolam ad Latinitatis Vivae fautores, qui interfuerunt, circummisit:

**Joannes Carolus Rossi cunctis et singulis s.p.d.**

Dabitis mihi veniam, amici, si propter temporis angustias litteras formales ad unumquemque vestrum mitto, sed cupio vobis ea quae mihi simulac Mediolanum reverti venerunt in mentem, continuo patefacere. Multis indiciis in eam spem adducor ut credam rem nostram in dies augeri diffundi propagari! Quicquid enim de Conventu apud Salesianos patres habito dici potest - neque vero fortasse omnia omnibus placuerunt - hoc tamen pervicimus: studia hominum, quoscumque de latinitate viva docuimus, statim mirum in modum excitari. Etiam mihi videmur ipsam Academicorum provinciam, quae munitissimo solet vallo intercludi, tamquam bellatores clandestini invadisse... non paucos puto aegre tulisse quod, altero conventus die exeunte, plures in nostro quam in Academicorum affuisse auditorio. Hoc propterea mea quidem sententia potuimus, quod vires coniunximus. Scitote etiam me, vix domum regressum, invitatum esse ut nescio cui emissioni radiophonicae ad circulum Mediolanensem divulgandum interesset. Breviter interrogatus sum sed pro re satis: probe enim novimus esse per gradus progrediendum. Ceterum nonne Sophistae probaverunt numquam ab Achille testudinem superatum iri?

Valete omnes quam optime iterumque valete.

Dabam Mediolani pridie Nonas Novembres a° 1987°.

**Vido Angelino docto et eleganti periodico, cui titulus «Melissa», s.p.d.**

Velim te certiore facere de re quam comperies, suspicor, libentissime. Editus est mense Septembri anni elapsi, liber, cui titulus «Siamo tutti latinisti», id est «Sumus omnes latinistae» (Cesare Marchi, Ed. Rizzoli, Milano), qui liber explicat, eleganter et argute, omnes sententias latinas quae vulgo hodie

adhibentur, ut e.g. «dura lex sed lex», «homo homini lupus», «omnia munda mundis», et aliae innumerae.

Diurnarius quidam, hac occasione motus, voluit interrogare nonnullos, ut hodie dicimus «intellectuales» quid censerent de lingua latina, utrum esset revera existimanda lingua mortua an lingua adhuc viva, cuius cognitio, his nostris temporibus, esset adhuc utilis.

Referam quid responderit peritissimus artis cinematographicae, clarus regista (ut hodie nuncupatur), cui nomen Nanni Loy: «Quaeris num sit adhuc utilis lingua Latina? Narrabo tibi quid mihi atque cohorti cinematographicae evenerit abhinc aliquot annos in Africa aequatoriali. Nobis erant necessariae nonnullae «sequentiae» in quibus apparerent elephantibus et bubali, ideo quaesivimus a rectore oppiduli, in quo commorabamur, venatorem usu peritum locorum, qui nobis esset dux.

Ille obtulit atque commendavit nobis germanum cum quendam, qui nostrum iter regeret usque ad regionem in qua incursuri essemus in beluas quaesitas. Proficiscimur. At cito patuit illum venatorem tantummodo cognoscere linguam theodiscam; nemo autem cohortis sciebat loqui germanice.

Feliciter casu comperimus illum venatorem fuisse quondam sacerdotem, qui, post aliquot annos, se reduxerat ad statum, ut dicitur, laicalem atque, captus amore Africae, iam quinque annos illic vivebat, venationem exercens.

Ego ideo coepi, lente ac fere balbutiens, loqui cum eo latine, et sensim, dum resurgunt in mea memoria notiones et vocabula quae adulescens didiceram in schola, nostra sermocinatio facta est securior et amplior.»

Sic autem finiebat regista: «Per omnes illos dies collocti sumus inter nos quasi lingua latina esset lingua viva.»

Quid pulchrius quam sibi fingere mente illos duos viros diversae patriae qui in media silva Africae perfecte se invicem intellegunt, placide latine loquentes? Inter se

Quid concludam? Revera sermo latinus, dummodo sit colloquialis, crystallinae evidentiae, rectissimae structurae, ita ut sit subitariae intelligibilitatis, potest hodie fieri lingua vehicularis in toto mundo occidentali.

Tibi autem ominor ut tui lectores multiplicentur

Unus e lectoribus nostris, Marcus Mélard nomine, ad nos misit periodicum «La Revue Ecclésiastique de Liège» inscriptum, quod, inerte hoc saeculo creatum, hodie non iam in lucem editur. Quod periodicum, usque ad secundum bellum mundanum, Latine omnex parte conscriptum erat. Si quis velit hos libellos evolvere, in his fortasse inveniat res alicuius momenti, e.g. vocabula ad res modernas pertinentia. Capitulum praegustandum vobis proponimus, excerptum e numero 1° a° 1945.

### De vi et metu irritantibus matrimonium.

Quaestio de vi et metu in re matrimoniali magnum momentum etiam practicum praesertit; etenim inter omnia capita nullitatis matrimonii quae allegantur, vis et metus maxima relative frequentia, occurrit. De argumento illo in *Revue Ecclésiastique de Liège* iam tractatum est et egregie quidem. Suppositis omnibus quae in articulo illo tradita sunt, nonnulla particularia hic paulo fusius perscrutari vellemus. (...)

Sumamus exemplum classicum metus dicti reverentialis. Puella matrimonium non vult quod eius parentes vehementer cupiunt a se iniri. Parentes incessabili insistencia, lacrimis, adiurationibus puellam obsident: nisi tandem consentiat, parentes amare contristabuntur, irascuntur, immo mater iam periculose decumbens forte morietur, denique amita pingui hereditate illam privabit. Si insuper puella indole debiliore sit, nullum dubium quin habeatur metus (reverentialis) talis qui matrimonium irritare valeat. (...)

Concluditur. In recta expositione canonis 1087 de vi et metu matrimonium irritantibus, verba «iniuste incussum» et «ab extrinseco» intelligi debent, non quidem respiciendo malum quod timetur, sed utique ipsam «metus incussionem».

Metus iniuste incussus habebitur tum ubi malum quod imminet iniustum est, tum ubi -sive malum iniustum sit, sive non- ipsa metus incussio iniusta est, eo quod libertas nupturientis iniuste laeditur, et hoc ultimum verificatur tantum et exclusive ubi metus directe incutitur ad extorquendum consensum.

### Sessio circuli Belgici (sequitur p.4)

Franciscus Hazet, qui parvum filium suum Samuel adduxerat, Ioel Joubert, Andreas Pierucci; et ego ex Germania Occidentali. Adfui autem cum Alano, fratre meo Latino, quem illo fine septimanae visere constitueram, ut etiam sessionem circuli participare possem. Cuius sodales omnes ex seminariis Vivae Latinitatis cognoveram.

Multum mirata sum disciplinam (externam et internam) circuli Belgici: confluendum omnibus erat satis exacte ad tertiam horam; Galus sessionem incoavit et strictius usque ad finem duxit; materia divisa erat in partes tres: nuntii et proposita novissima, thema principale, varia.

Thema principale illo die erat lectio Theoderici, qui est juvenissimus professor in Studiorum Universitate Antverpiensi, de initio orationis, quam Cicero pro Caello habuit. Primum Theodericus nobis de orationis condicionibus historicis pauca explanavit, ut ea quae a Cicerone ipso in exordio brevissime commemorantur, intellegere possemus. Tunc nobis

Nobis maximo et gaudio et incitamento est tales epistulas accipere qualem ad nos modo misit P. Basilius Hypeau:

Sollertissimis, strenuissimis atque efficacissimis Melissae editoribus, P. Basilius Hypeau s.d.p.

Lecto numero Melissae 21<sup>ae</sup>, non possum quin vobis ex animo gratias agam, et tam bonum fasciculum gratuler.

Per vos enim certior factus sum et de Conventu Romano et de Conventu Argentoratensi hoc autumno habitis, de quibus sine vobis nihil omnino nec audissem neque vidissem. Gaudeo quod Latinitatis Vivae propugnatores, quamquam etiam nunc numero pauciores, paulatim nihilominus maiorem efficaciam atque vitalitatem acquirant.

Peculiari cum studio, legi Gaii Licoppe orationem Romanam, cui in omnibus assentior.

Carminum autem Stephani Surigono excerpta cum legerem, miratus sum quod et a Lovaniensibus olim vineae colerentur. Is enim scribit: «Collibus ac plenis fertilis uva rubet». Id fieri posse Lovanii non putabam. Lovanium autem me numquam vidisse fateor.

Valete, amici, et Vivam Latinitatem alacriter diffundere pergite.

Scribebam apud Iocas die 13° m. Decembris a° 1987°.

textum ita legit, ut quantitates vocalium et accentus verborum bene respiceret, etiam rhythmum clausularum. Demum nobis exercitationes varias iucundissimasque praebuit: nobis omnibus discipulis usus est, quibus de sensu sententiarum, de grammatica, de stilo respondendum erat. Sicuti veri discipuli multum gavisi sumus, si quid boni dicere potuimus. Grammaticam secundum antiquos explanavit, qui interdum aliis vocabulis ac nos hodierni utebantur.

Mihi haec lectio ita multum placuit, ut statim Theodericum de divulgatione rogarem; vocabula et sententias exemplares scriptas habere nos in institutione scholastica permultum adiuvare posset. Sed Theodericus qui fluenter atque periodicis Ciceronianis loqui scit, timide negavit quia nondum omnes grammaticos perlegerat. Nonne talis timor nobis nocet? Initia quam plurimis quam celerrime sunt facienda, alia perfectiora postea sequentur.

Eloquentia Theoderici est maxime mirabilis. Partim fortasse explanari potest ex horario scholastico Flandriae: ibi adhuc per novem horas in septimana Latine docetur; a proximo anno autem numerus horarum diminuetur.

Prima pars officialis sessionis me propter opera iucundissime perfecta maximo gaudio replevit; sed secunda pars magis privata non minus iucunda erat: licuit in Iacinae domo manere, ubi una optimam cenam sumpsimus, Caroli Orff Carmina Burana audivimus, etiam, Cantalia moderante, cantavimus.

Gratiae maximae agenda sunt Iacinae, Franciscae, Dianae et Corinnae, quia multas res curaverunt sicuti potiones cibosque, photographemata casetasque, officialia et alia; Iacinae, quia etiam non tam bene notis peregrinis Francogallis et mihi domum suam aperuit; Alano pro toto fine septimanae periuendo.

Latinitas Viva amicitiae vincula nectit!

Inga PESSARRA-GRIMM

# UBI CONDISCATUR LATINE LOQUI

## SEMINARIA LATINA

Dr P.Caelestis Eichenseer hoc anno moderabitur duo semina-  
ria, ubi sua solita via iucunde docebit sermonis Latini usum  
cottidianum:

**-24/7 - 30/7/1988, Morsaci (Morschach) in HEL-  
VETIA**, qui locus saluberrimus aliquibus centum quinqu-  
aginta metris supra lacum «Quattuor Regionum» situs est, unde  
montium clivi bene accessibiles sunt maximeque mirabilis  
prospectus ad lacum ipsum et ad montes circumiacentes  
praebetur. Ad quod participandum, interroganda est:

Erica ROTH  
Aeschistr. 6  
CH- 3110 Münsinge  
Tel. 031/920823

**- 8/8 - 13/8/1987, Bottropii (Bottrop), in urbe  
Rhenaniae Vestfalicae**, quod seminarium fit in domo  
commodissima et periuconda. Ad quod participandum,  
interrogandus est:

Rochus Habitzky  
Albertus-Magnus-Strasse, 7  
D-4100 DUISBURG 25  
Tel. 0203/781430

## **Alberti Grisart novissimi libri**

### c.t. **PORTUS ITIUS** existimatio

Albertus GRISART, Portus Itius, Ed. Melissa,  
1988.

Dominus Albertus Grisart modo defunctus est,  
postquam in Athenaeo Vervien- si aut in Universitate  
Laval (in Quebeco) linguam et litteras Latinas docuit.  
De historia Caesaris et praesertim de eius itineribus  
in nostra Belgica multa scripsit. Sub titulo Les Etudes  
Classiques (mense Aprili 1960), paginas edidit quae  
Aduaticos vel Eburones spectant. Castrum quod  
dicitur Aduatica plurimas quaestiones ei posuit, quas  
solvere conatus est. Itaque editiones Melissa suis  
eiusque amicis libenter praestant librum de locis  
unde naves Romanae Caesarem duxerunt in Britan-  
niam et exinde rursus in Galliam. Alia etiam Alberti  
Grisart opera postea in lucem proferre volunt. Sic  
mox apparebit omnino quantum ille rerum Latinarum  
scientiae profuerit.

Conclusiones a notis hominibus, ut Grenier aut  
Rambaud, expositas recusans, scriptor noster duos  
portus eligit: Sangatte, veterem Portum Itium in  
Morinorum civitate, et Folkestone in Britannia.  
Dubia, de modis mensurarum apud Romanos, exem-  
pli gratia de passibus, vel alia de ripis marinis olim ab  
his quas nunc videmus diversis, diligenter illustravit.  
Gesoriacum Bononia (Boulogne), urbs sat clara nos-  
tris temporibus et iam, cum via quae aves nostros a  
mari ad Rhenum vehebat, existere coepit, naves  
Caesaris cogere non poterat.

Pro tot et tantis luminibus a doctissimo scriptore  
allatis, ex corde et spiritu gratias agimus.

Andreas WANKENNE

**-13/8 - 20/8/1988, Vestendae in BELGICA**

(ad litus maris harenosum), ubi pernoctatio victusque in  
hospitio communi relative parvo constant. Ad quod participan-  
dum, interrogandus est:

Dr. Gaius LICOPPE  
Av. de Tervueren, 76  
B-1040 Bruxelles  
Tel. 02/7350408

Pro ipsa institutione unius septimanae 120 Marcae Germanicae,  
quae pecuniae summa mittatur ad hanc sedem numariam:  
VOX LATINA 18353-661 Postgiroamt Saarbrücken-  
Deutschland.

Pecunia pro habitatione et victu solvetur in ipsis deversoriis vel  
hospitiis.

## FERIAE LATINAE

**-22/8 - 29/8/1988,**

**P. Suitbertus a S. Joanne a Cruce** Feras Latinas moderabitur.  
In Seminarii Aedibus Diocesis Nicensis quae inscribuntur:


La Maison du Séminaire  
Boulevard Franck Pilatte, 29  
F-06300 NICE

Schedae inscriptionis rogandae sunt a:

Clément DESESSARD  
Résidence des Collines, C9  
Rue Léo Brun  
F-06210 MANDELIEU

**Albert GRISART**

**PORTUS ITIUS**



**Editions Melissa**  
1988

*N.B. Ce livre écrit en français est en vente aux  
Editions Méli-ssa au prix de 450 F.B., port inclus.*